



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 120. Mahometes Christianis placatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

bis testis erat, propriæ suæ calamitatis Sæcul. XV.  
 haud oblitus narrat, se quoque cum ce- A.C. 1453.  
 teris in potestatem hostium venisse, om-  
 nesque duræ servitutis conditiones ex-  
 pertum, postremo venditum, ac Spar-  
 tam esse perductum, ibidemque redem-  
 ptum inter Thomæ Principis, defuncti  
 Imperatoris Constantini fratris domesticos  
 cooptatum fuisse, accepta ab eodem qua-  
 dam ditione; postea vero ejusdem nomine  
 varias legationes obiisse. His addit, ux-  
 orem quoque suam captam fuisse unacum  
 liberis nimirum Filio, atque Filia, eos-  
 demque a Turcis vendites uni apud Ma-  
 hometem stabuli Præfecto, qui illos ob-  
 formæ, ac morum præstantiam ingenti  
 pecunia emptos abduxerat, postea tamen  
 filium propria sua manu jugulaverat, Fi-  
 liam autem in palatio mortuam ex pesti-  
 lencia, uxorem tandem auro redemptam  
 fuisse ait. Hic idem Phranzes, urgentibus  
 nonnullis Corcyræ Nobilibus, rerum sui  
 ævi memoratu digniorum chronicon  
 conscripsit, in quo ea duntaxat, quæ pro-  
 prii oculi testimonio comprobata habuit,  
 recenset, suamque historiam ad annum  
 millesimum quadringentesimum sexage-  
 simum primum producit.

## §. CXX.

*Mahometes Christianis placatus.*

**M**ahometes, cum ex una parte probe in-  
 tellige-

**Sæcul. XV.**  
**A.C. 1453.**

telligeret, armorum potentiam, suamque ærarium ex Christianorum subsidiis plurimum auctum iri; ex altera vero urbem propemodum incolis vacuum cerneret, cunctis ferme aut fuga dilapsis, aut gladio peremptis; hinc publico edito omnes, majores juxta ac minores, qui sese occuluerant, prodire jussit, addita plenissima securitatis, atque immunitatis sponsione. Pari modo & eos, qui ex urbe profugerant, undique acceriri voluit. Ut vero plures ad urbem alliceret, Constantinopolin multis egregiis ædificiis ornavit, illamque Imperii sui Sedem constituit.

§. CXXI.

*Novus Patriarcha Constantinopoli  
Mahometis jussu electus.*

Cum interim Constantinopolitana Sedes ob spontaneam Georgii Protosyncelli Patriarchæ abdicationem, ejusque Romanam discessum vacaret, Mahometes novum Patriarcham, qui Constantinopoli resideret, subrogari voluit. Ut vero in hoc quoque negotio sese Imperatorem gereret, electionem eadem, quæ antehac apud priores Imperatores in usu erat, solemnitate fieri præcepit. Hi enim plurimum suorum Prædecessorum exempla secuti, nec veterum Canonum disciplinam,